

W d  
786





VI. 36<sup>e</sup> = 0.

(cat. 1, 829. 830. 831.)



H. 65. 7.

3

3.

Historica  
DESCRIPTIO  
SVSCEPTAE A' CAE-  
SARE A MAIESTATE EXE-  
CVTIONIS CONTRA S. ROM. IM-  
perij rebelles, eorumque Receptatorem:  
& captæ vrbis Gothæ, soloque æquati  
castri Grimmenstein, Anno  
Domini M. D. LXVII.  
XIII. Aprilis.



---

M. D. LXVIII.







# CANDIDO LECTORI.



*A* fuit ferè semper rerum humanarum in felicitas, vt in inuidiam & vulgi reprehensionem inciderint ij, qui se corruptis sui sæculi moribus opposuerunt, aut conantes turbare Rempub. represserunt. Vulgus enim non inquirat causas eorum quæ geruntur, sed iudicat pro suis affectibus, & semper putat imbecilliori à potentiori fieri iniuriam. Eiusmodi inuidiæ aculeos, si ulli vnquam, certè iam sentiunt ij, qui superiore anno iuxta decretum factum ab ordinibus Imperij in conuentu Augustano, Grumbachianam factionem armis oppresserunt. Eius enim reliquiæ nullum non genus calumniæ comminiscuntur, quo istorum nomen & existimationem ledant, ac eos in odium & inuidiam adducant, non solum apud Germanos, sed etiam

*A* 2 apud



apud exteras nationes, & praesertim apud Gallos. Totam autem sui odij vim in Illustrissimum Saxonicae Electorem Augustum euomunt: nec sane fuit haec inanis ipsorum labor. nam plurimis in Germania & Gallia persuaserunt, ipsum studio tantum deprimendae nobilitatis Germanicae (quam iam satis dura seruitute premi aiunt) Gothanam expeditionem suscepisse. Addunt & aliud calumniae genus, nimirum, ipsum facta conspiratione cum Pontificijs principibus, cogitare de extirpanda vera religione: cuius rei ut faceret initium, praecipuos eius propugnatores oppresserit. Imò eò impudètia sunt progressi, ut persuaserint multis, ipsum iam apud se habere istud recens exortum genus impostorum, quos Iesuitas uulgo nominant. In quibus calumnijs adstruendis & serendis Grumbachiana factio egregiam operam nauat. Si cui nota sunt res Germaniae, is facile intelligit, solius ordinis equestris seu nobilitatis (ut uocant) opes & facultates nostro tempore auctas esse, reliquorum uerò ordinum aut imminutas, aut labefactatas. Principes experiuntur eas  
diffi-



difficultates in gubernatione ob turbulento-  
rum hominum molitiones, ut nihil ipsis satis  
sit. Comitum fortunis quotidie multum de-  
cedere nemo ignorat. Urbes Imperij præter  
paucas, videntur tantum esse cadauer, ea-  
rum urbium quæ repub. melius constituta  
floruerunt. Agricolaè verò ubiq; sub gra-  
uissimis oneribus gemunt. Quare ipsius or-  
dinis equestris maximè interest, ut hæc rei-  
pub. forma conseruetur: cum ex ea plura e-  
molumenta sentiat quàm ordines reliqui o-  
mnes. Videant igitur ij, quorum res sunt  
adhuc integræ, ne immoderatæ libertatis a-  
mor eos decipiat: & caueant ne nimis faci-  
les aures præbeant incantationibus eorum,  
qui sua per luxum & superbiam prodegerunt,  
quos non est mirum cupere turbari rempub.  
Iam autem consideremus quales veræ reli-  
gionis propugnatores isti fuerint. Cum ante  
sex annos in Gallia exortum esset bellum  
ambitione quorundam procerum, qui renas-  
centis Euangelij splendorem ferre non pote-  
rant, & initio belli dissipata esset fama per  
Germaniam, longè esse maiores vires prin-  
cipis Condei, quàm aduersariorum eius:

A 3

Grum-



Grumbachius & socij nihil non fecerunt,  
quo possent persuadere Condensibus, ut ipso-  
rum opera in conscribendo milite uterentur.  
Et ut ostenderent se optimè erga ipsos esse  
affectos, mandarunt ijs, qui annua ipsorum  
stipendia in aula Gallica soliti erant exige-  
re, ut in ea re uterentur opera principis Con-  
dei, non autem Guisij ducis, cuius tamen be-  
neficio ea erant consecuti. Nam tunc præse-  
ferebant se nolle habere quicquam commune  
cum ijs, qui ueræ religioni aduersarentur.  
Vbi autem animaduenterunt isti boni viri  
minus esse prædæ apud Condenses quàm ipsi  
sperauerant, deposita religionis larua, quam  
induerant, dederunt operam ut Guisio re-  
conciliarentur, cui sub finem belli petenti ut  
equitem conscriberent aduersus Condenses,  
sunt cupidè obsequuti. Sed inopinata & ipsis  
minimè opportuna Guisij mors, rationes ip-  
sorum tunc perturbauit. Post VVurcebur-  
gensis vrbis direptionem, & præsertim post-  
quam in conuentu Augustano decreto omni-  
um ordinum Imperij sunt proscripti, incerti  
quò se uerterent, conati sunt persuadere ijs,  
qui repurgatam religionem in Gallia profi-  
teban-



tebantur (quos sciebant in perpetua solici-  
tudine uiuere) se, si quid pecuniæ sibi ab ipsis  
subministraretur, ita res Ecclesiasticorum  
in Germania perturbaturos, ut posthac Pon-  
tificij in Germania & Gallia cogitaturi po-  
tius essent de sese defendendis, quàm de alijs  
opprimendis. Sed Galli responderunt, sua  
maximè interesse, vt maneret pacata Ger-  
mania, quo possent inde habere auxiliares  
copias, quandocunq; necessitas exigeret. Hu-  
ius factionis reliquiæ superiori autumno se  
in Galliam receperunt, & cum exoriretur  
infelix istud bellum, quo adhuc miserè ardet  
Gallia, pro suo more utriq; parti suam ope-  
ram detulerunt. Quidam ex ijs, qui Regi  
aderant, persuasi fore maximum concursum  
nobilitatis ad istos, statim ubi Germania fi-  
nes attingerent, hortati sunt Regem, ut ip-  
sorum opera uteretur: cuius rei cum facta  
ipsis spes esset, contulerunt se in Metensem  
urbem, sperantes se ibi accepturos pecuniam  
ad conscribendum militem: verùm Rex à  
peritioribus rerum Germanicarum de ijs re-  
ctius edoctus, paulo post mutauit sententiã.  
Vbi animaduertent se ubiq; spe excidisse,



præcipui inter ipsos præclarum, & sua pietate dignum facinus sunt aggressi. Ut enim gratificarentur Pontificijs, à quibus recens ea iniuria, uel potius contumelia erant affecti, clam ad illustrissimum principem Ioannem Casimirum Palatinum accesserunt, suadentes ut desertis ijs qui in Gallia propter Religionem periclitabantur, copijs quas in procinctu habebat, ad turbendam Germaniam uteretur. Sed generoso principis animo de suorum morum scabie nihil adfricare potuerunt. Si quis ad hæc addat præstigias magicas, quibus antea sunt usi, habebit Religionem & pietatem, ob quam in eas calamitates sunt merisi, in quibus iam hærent. Nunc uideamus an Elector Saxonie Augustus à Religione defecerit? Nemo bonus negabit, scholam Vuitebergensem, esse tanquam fontem perennem, ex quo ora sua rigarunt, & sue uirtutis fundamenta hauserunt plerique ex ijs, qui in Germania & vicinis gentibus cum laude præsunt Ecclesijs, & in Reip. administratione versantur: eam felicibus auspicijs institutam à sapientissimo Principe Friderico Electore, sua liberalitate ornarunt  
& auxe-



& auxerunt Ioannes, Ioannes Fridericus,  
& Mauricius Saxoniae Electores. Verum  
maiora beneficia solus in eam contulit is, qui  
iam rerum potitur, quam isti omnes simul.  
Præterea recens instituit plures Scholas in  
varijs locis suæ ditionis, in quibus magnum  
numerum puerorum sua pecunia alit: & cu-  
rat in Religione & literis diligenter institui,  
vt sint tanquam seminarium ad veram re-  
ligionem & pietatem propagandam. Pauci  
sunt in ipsius ditione docti Theologi, aut Pro-  
fessores bonarum artium, qui non eximiam  
ipsius erga se liberalitatē sint experti. Hæc  
facere & compescere quosdam turbantes Ec-  
clesias bene constitutas, est illa defectio à  
Religione, quam improbi isti homines puti-  
dis suis calumnijs exagitant. Quamuis isto-  
rum malorum in quæ incidit, sibi author ex-  
titerit Dux Ioan. Fridericus: multi tamē  
dolent vicem eius propter dignitatem fami-  
liæ, & memoriam virtutis maiorum ipsius,  
quorum est illud maximè gloriosum faci-  
nus, quòd primi omnium ausi sunt caput in-  
gentibus periculis obijcere, vt ueræ Religio-  
nis aduersus tyrannidem Pontificiam pa-



erocinarentur. Sed (ut ait Poëta) Si te  
præcipitem rapit ambitus, &c. Incipit ipso-  
rum contra te stare parentum Nobilitas,  
claramq; facem præferre pudendis. Paucis  
annis post mortem parentis, quendam flo-  
cipendendum ad se uocauit, ut per ipsum Ec-  
clesias Electoris Augusti exagitaret & tur-  
baret. quod est ita petulanter factum ab il-  
lo & eius sodalibus ac sectatoribus, ut multi  
mirarentur Electorem Augustum ista fer-  
re, cum uiderent eius æquanimitate istorum  
ferociam & petulantiam augeri. Sed quan-  
diu licuit, maluit suas iniurias publicæ tran-  
quillitati condonare. Cum autem euentus  
non responderet magnis illis speb. quas flo-  
cipendendus iste fecerat de turbanda repub.  
& præsertim ditione Electoris Augusti: ue-  
nit in contemptum apud Ducem Ioannem  
Fridericum, à quo tandem cum ignominia  
pulsus est ex Thuringia. Cum enim (ut so-  
litus erat quidam dicere) ageret de regione  
potius quàm de religione, prætulit Dux Io-  
annes Fridericus Grumbachij consilia, quæ  
ipsum tandem in istas calamitates præcipi-  
tarunt. Quoniam autem mendacia quæ uul-  
gò spar-



go sparguntur de causis belli, quod superiore  
anno ad Gotham gestum est, præbent occa-  
sionem calumnijs aduersus Electorem Au-  
gustum, existimaui unicam esse rationem oc-  
currendi eiusmodi calumnijs, & discutiendi  
nebulam, quam isti suis præstigijs & menda-  
cijs plurimis offuderunt, si in lucem ederem  
narrationem de causis & successu eius belli,  
quam ex publicis monumentis bona fide &  
grauiter descriptam, quidam amici ad me  
miserunt. Si quis ad eius lectionem adferet  
animum non occupatum præiudicijs aut ef-  
fectibus, spero apud ipsum posthac non fore  
locum calumnijs. Non deerunt fortè, qui  
dicant, Satius fuisse domesticorum horum  
vulnerum memoriam obliuione sepeliri,  
quàm ea in lucem proferri. Audiant isti  
Tacitum dicentem, præcipuum munus scri-  
ptoris esse, ne virtutes sileantur, vtq;  
prauis dictis factisq; ex posteri-  
tate & infamia metus  
sit, &c.

DE



# DE BELLO GOTHICO.



N N O Salutis nostræ  
Millesimo Quingente-  
simo septimo & sexage-  
simo, Germania bel-  
lum habuit, susceptum  
decreto, & gestum sum-  
tibus communib. om-  
nium ordinum Impe-  
rij, aduersus Grumbachianæ coniurationis  
Duces, ac horum Receptatores, Duce Illu-  
strissimo principe Electore Saxonie Augu-  
sto. Huic enim sententiæ in prosriptos pro-  
mulgatæ executio, ac tota belli summa ab  
Imperatore ac cæteris ordinibus vno con-  
sensu demandata fuit. Causæ belli & occa-  
siones sic se habent: Guilhelmus Grumba-  
chius ex nobili quidem stirpe in Orientali  
Francia natus, sed à vera generosi animi  
nobilitate alienus, & factiosis consilijs ac mo-  
litionibus à prima ætate magis, quàm virtu-  
tum studijs deditus, atq; ab his celebris Va-  
sallus erat Antistitum Vuirceburgensium:  
Sed ab his ad Albertum Marchionem Brã-  
deburgensem sese contulit. Cui adolescenti  
incitato aduersus patrum optimum princi-  
pem Georgium Marchionem, consiliorum  
mini-



minime feliciū aut salutarium autorem & ad pessima quæq; atq; ipsi tandem, & familiæ pernicioſa, magistrum & incitatore[m] sese præbuit. Aliquanto post eundem sumptibus impensis in bella CAROLI V. Imperatoris & immodicis alijs profusionibus exhaustum, ac egestate per sese inhiantem vicinorum Antistitum terris & opibus, cum ad bellum illis inferendum impelleret, idq; iam motum, ut Architectus arcanorum consiliorum præcipuus, magno studio & artibus ac technis mirabilibus instrueret, ac foueret, Vuirceburgensis Feudum illi ademit, quo tamen semetipsum spoliauit violatione fidei ac iurisiurandi erga Dominum Feudi. Hac de re Marchione Alberto tandem omni sua ditione exuto, & in exilio mortuo, Antistiti Melchiori è gente Zobela litem ille audacter mouet, & tanquam nil meritis tale, nec vllius culpæ reus, conatur euincere, sibi huius quicquid fecisset, id facere licuisse integro & incolumi iuramento: propterea, quod quamprimum offensio nata inter Antistitem Frâcicum & Marchionem Albertum, in dissidium primum, mox in bellum erupisset, ex pacto inter hos conuenisset, Vasallis vtrinque militantibus fraudi non fore, si pro ijs, quibus seruirent Dominis, arma ferrent contra feudi dominos. Quod ipsum tamen per se quidem uero minime consentaneum, nullis dein-



deinceps documentis comprobare Grumbachius potuit. Re igitur aliter comperta, cum non statim, nec ita ut uellet, sua reciperet, Antistitem per subornatos sicarios ex vrbe Vuirceburgo in arcem per Mœni pontem ascensurum, aliquot sclopetorum ictibus insidiosè interficit. Sicarij euadunt, nec tunc agniti sunt, quod parricidium uelatis facibus perpetrassent. Non longo tamen temporis interuallo post, in Lotaringia capitur ex Sicarijs unus Christophorus Crecerus, qui seu metu Grumbachij, cui multos annos seruiuerat, seu ex occultis alijs obligationibus erga Grumbachium: seu tribuens hoc beneficijs ab eo acceptis, se autorem parricidij professus, cum in itinere frequentibus suspirijs ac gemitibus dominum accusasset, uitam sibi ipsi noctu laqueo finiuit. Quod, ut existimatum fuit, tormentorum cruciatus reformidaret ac supplicium: uel quod anteuertere abrupta uita cuperet quaestiones in Dominum, ad quas seruari ac duci se non ignorabat.

Succedit Zobelus alius ex Vuirsburgiorum familia: huic litem renouat Grumbachius. Res agitur uelitationibus scriptionũ. Antistites ex archiuis belli tempore interceptis proferunt ac detegunt artes & machinationes Grumbachij. His, etsi Apologias opponit, refertas non tam refutationib. eorum

rum



rum quæ obijciebantur, quam anticatego-  
rijs: tamen ut erat uir ingenio astuto ac ua-  
fro, timidoq; & crudeli, his non confidens,  
sed alijs præfidijs opus fore cernens, animos  
nobilitatis Germanicæ occupat, querelis a-  
trocibus ac speciose ad fallendos imperitos  
exaggeratis de iniuria, qua per uim inno-  
cens ipse afficiatur ab Antistite Vuijcebur-  
genfi, à quo excluderetur auitis possessioni-  
bus, nullo suo merito, ut præ se ferebat, per  
fas nefasq;. Contra hanc si Antistitis tyran-  
nidem non defendatur, ostenditur exem-  
plum nociturum nobilitati uniuersæ. Impu-  
ne enim deinceps principes aufuros esse  
quæuis in subiectos ipsis homines. Nobiles,  
quocunq; iuris prætextu, & hos in turpem  
seruitutem redactos, ceu mancipia rustica  
oppressuros. Simul autem latebras querit ac  
receptus, ubi tuto uersetur, conflataq; oc-  
culte coniuratione minime contemnenda,  
se se & armat munitq; in præfens, & si foret  
opus, ad rem bello etiam deinceps decer-  
nendam instruit. Ex ordine equestri igitur,  
non exiguum sociorum numerum compa-  
rat. Inter hos fuere pleriq; qui Marchionem  
Albertum infelicibus latrocinijs Germani-  
am peruaftantem secuti, ea occasione in no-  
ticiam & familiaritatem Grumbachij per-  
uenerunt. Ac præcipui quidem Guilhelmus  
Steinius, eiusdem apud antistitem Vuijce-  
burgen-



burgensem criminis reus. Ex eadem causa, Albertus Roseburgius, Ernestus Mandelslavius Saxo, Iodocus Lebicius, & plures alij.

Sed quod intelligeret nobilitatem solam nec auctoritate, nec uiribus, nec opibus tantæ rei parem futuram, si potentiores principes aduersarentur: nec protinus omnes ex hoc ordine hæc consilia probaturos, atque à suis principibus discessuros esse. Deniq; si quid à nonnullis non vniuersis moueretur, conatus seditionis speciem esse habituros. Idcirco re deliberata dat operam, ut ad præsidium Nobilitatis adiungat patrocinium principum, gratia, auctoritate, affinitatibus potentum. Præfert autem cæteris Duces Saxonix fratres, Ioannem Fridericum secundum, & Ioannem Guilhelmum, Ioannis Friderici Electoris olim filios, tanquam proximos uicinos, & suo iudicio huic telæ, quam instituebat pertexédæ accommodatissimos. Eos enim ex collectis adeptisq; per parentem studijs hominum, norat gratia ualere apud promissuam multitudinem, augente fauorem commiseratione ex memoria cladis perpeffæ in bello Germanico, titulo defensæ religionis. Apud hos ita sese insinuat, ut alterum natu maximum Ioannem Fridericum de suæ causæ bonitate persuasum, & maximis spebus impletum, gloriosoq; titulo

Paren-



Parentis, Patroni, Protectoris ac Vindicis nobilitatis germanicæ infatuatum, ac ille sibi deuinxerit: Alterum Ioanem Guilhelmu[m], quanquam sæpe ac mirificè tentatum, circumuenire tamen atque in suas pertrahere partes nequiuerit. Qua eum de causa Grumbachius cum non posset non odisse ac metuere, quum uicissim inflammaret fratrem odio illius, & ad minitanda ei ac struenda extrema omnia impelleret, continere se non potuit. Sed Ioannem Fridericum, ut postea res docuit, constat sua uoluntate deceptum esse, uel ijs potius spebus delusum, quas ex promissis amplissimis Grumbachij conceperat immensas, fore scilicet, ut rebus motis restitueretur ipse in paternas & auitas hæreditates uniuersas, Electore Saxonie Augusto, uel per sicarios sublato, uel si hac non succederet per concitatam tota Germania suæ causæ prætextu Nobilitatem, excusso.

Nactus igitur Grumbachius patronum, non tam opibus quàm improborum magna ex parte hominum studijs potètem, nidumque oportunum ad quæuis facinora patrandam, & fretus Nobilitatis erga se affectione ac promissis, quod scriptio[n]ibus partis aduersæ ualde prægruari sese animaduerneret, ac uideret causæ suæ cognitionem uel lentius idcirco processuram esse, uel tandem exitum habituram alium, quam sperauerat, decur-

no/1

B

rit ad



rit ad alia consilia, suo more fraudi, si finem suum consequeretur, violentiam miscens. Semetipsum ergo suæ causæ iudicem facit, ac congregatis clam viris astu seditiosæ coniurationis socijs circiter octingētis, solo in loco ea in parte Orientalis Franciæ, quam Eislebium nominat, ac Vuirceburgum hoc commitu nocte, maxima festinatione accedit, effractisq; sub horam tertiam matutinam portis, urbem nihil tale somniantem ingreditur: capit, diripit, extorquet Canonicis qui adfuerunt transactionem diu præmeditatam atq; quæsitam. imponit iisdem cum iuramento *ἔμ. υῤῥσίᾱρ* perpetuam parricidij perpetrati, adimens omnem inquirendi de authoribus potestatem: recipit sua vniuersa, & promissum exprimit singrapha sancitum, de grandi pecunia constitutis vicibus soluenda. Hoc peracto facinore, in nidū reuolat suum. Imperator Ferdinandus atrocitate facti grauius offensus, mādāt vt in iudicio publico Cameræ, ob vsurpatam seditioso conatu in priuata causa incompertam hætenus violentiam, reus peragatur violatæ nō tantum fidei erga dominum Feudi insidiosè circumuentum, sed & pacis publicæ in Imperio contra leges, pessimo ac perniciosissimo ad omnem posteritatem exemplo. Reum cognitū ac claratum cōdemnat & proscribit, simulq; eos omnes, qui hæc perpetrantem adiuarunt.

Non



Non magnificiunt proscriptionem coniurati, fiducia sui receptus : sed factum excusant, ita tamen vt non in vindicta se peccasse, sed modum excessisse in vindicando agnoscant, ac culpam hac in parte deprecentur: Transactiones autem vi extortas, uelint ratas esse ac firmas. Fouet, tuetur & excusat eos multo magis ipse Ioannes Fridericus Saxoniae Dux, ac ne quid huius à se in contemptum Imperatoriae Maieftatis quisquam fieri suspicetur, prætextum comminiscitur minime probabilem, cur refugia eis præbeat, nimirum ut plura conatuos reprimat atq; coherceat. Postulatur interea & ab Electore Saxoniae, ne Grumbachianæ causæ deesse velit: qui cum se parricidiis & seditiosis latrociniis nunquam patrocinatorum ostenderet, occasionem illis primam præbuit, odia iamolim concepta, sed pressa ac dissimulata hætenus, effundendi. Nec petatum id fuit, quod tale aliquid ab eo expectaretur, sed quod prætextus insidiis quæreretur. Sapiens Imperator quo hæc spectent, minime ignoras, perstat in sententia, & indicto conuentu mandat principibus Imperij Anno quarto & sexagesimo, ut Vvormatiæ per legatos cõsultent, cum de aliis Imperij negotiis, tum uero & de pace publica maiore cura firmada ac munienda. In eo conuentu decretum fit, de alendo in Germania præsidio equitum mille quingentorum.

B 2

Horum



Horum mille duci Saxoniae Electori Augu-  
sto, quingenti duci Iuliacensi attribuuntur,  
ea lege atq; conditione, ut sint ceu custodes  
pacis publicae in utraq; Germania, & si quid  
commoueatur à Grumbachianae conspira-  
tionis socijs, mox inter initia exorienti incē-  
dio ut occurrāt, idq; priusquam sese diffun-  
dat, restinguant. Moritur interea Ferdinan-  
dus: succedit filius Maximilianus. Huic cau-  
sam commendat Vuirceburgensis, flagitans  
executionem publicatae à parente senten-  
tiae, in hostes suos ac parricidas.

Ab eo tempore Grumbachiani nusquam  
fatis tuti Gottę apud ducem Saxoniae Ioan-  
nem Fridericum sese continent. Conueniūt  
ibidem crebrius & quidem magno numero  
socij coniurationis. Conferunt consilia, acu-  
unt odia in Electorem Saxoniae multis inci-  
tationibus, tanquam is ille sit, qui solus ob-  
stet & prohibeat ne impetret Grumbachius  
quae postulat, neue quae molitur perficiat:  
denique qui solus Nobilitati, eiusq; libertati  
aduersetur, & grauis sit atq; intollerabilis.  
Nullo enim alio speciosiore commento No-  
bilitas decipi & his factionibus implicari po-  
terat. Nec talia occulte sparguntur, sed pa-  
lam uagantur per ora hominum: Inuitantur  
ad societatem plures alij: conciliantur prin-  
cipi Ioanni Friderico quicunq; rei bellicae  
periti, & à clientelis equitum ac peditum in-  
structi



structi habebantur: Conducitur horum opera magnis stipendijs: confluunt inter hos & alij latrocinijs assueti ac dediti admittuntur: imo cupide excipiuntur, quibus propter æs alienum, perpetrata latrocinia, & similia scelera, locus aut receptus sub Electore Saxonix non conceditur: infestantur inde & terræ Electoris Saxonix & viæ publicæ latrocinijs, ab ijs, quos dulcedo prædæ Vuirceburchensis inescavit, & eæ quidem maxime, quæ terras Electoris Saxonix attingunt. Ostenditur multis in reb. animus erga hunc plane hostilis: molitiones tamen occultantur. Elector Saxonix contra dissimulatis initio iniurijs, ignarus etiam insidiarum, quib. vitam suam & iugulum peti deinceps cognouit, hortatur, orat, obtestatur, patruelem Ducem factionis seditiosæ cum satellitio vniuerso à se ut dimittat, & sibi ipsi, suisq; hac in re ut consulat: commemorat pericula, quæ proposita sint: reuocat in memoriam hæreditaria Ducum Saxonix pacta, quibus diserte cautum sit, hostes publicos aut priuatos, & ab Imperio proscriptos à neutra parte hospitio excipiendos, aut defendendos esse. Idem faciunt & alij principes, atq; in primis solícite & accurate Fridericus Palatinus Elector ad Rhenum, & Philippus Landgrauius Hassiæ, socer uterq;. Palatinus & de euentu vaticinatur, ni pareat, præfagiens id, quod



accidit. Et Electorem Saxoniae Augustum cum Duce Ioanne Guilelmo hac etiam de causa Lipsiae conuenit, ut si offensum à genere reperiat, placet. Venerat autem in Thuringiam Palatinus, ut compositis dissidiis, quae inter fratres Grumbachius alterius odio accenderat, & multos annos aluerat, sublataq; diffidentia, quae nata ex minis Ioannis Friderici, & clam structis infidiis, fraternam beneuolentiam ualde languescerat, confirmata denique partitione haereditatis, quam diu Grumbachiana factio presso altero impediuerat, & nuper uix ægre Ioannes Guilelmus obtinuerat, fratres generos inter sese reconciliaret.

Hæc dum hoc modo geruntur, appetit tempus primorum comitiorum Maximiliani Imperatoris. In his re in omnem partem accurate pensitata cunctis suffragiis renouatur sententia proscriptionis, extensaq; in Receptatores & auxiliatores, ad poenam parem condemnatos, solenniter publicatur, proclamante eam Heroldo Imperij ex præscripto post datum tubis signum & tympanis. Duci Electori uero Saxoniae Augusto demandatur ab Imperatore ac ceteris Ordinibus decreta in prosriptos & Receptatores, ni pareant, executio, & imperantur auxilia quatuor Germaniae prouinciis, Turingiae uiciniorib. Vtriq; Saxoniae, superiori & inferiori, Fran-

ciae



ciæ Orientali & Vuestualiaæ. Fit & decretum ut missa legatione iubeatur Ioannes Fride-ricus tradere proscriptos in manus Impera- toris aut uinctos, ubi ille uelit, sistere. Id nisi faciat in pari eum tanquam Receptato- rem cum ipsis culpa & condemnatione in- dubitato futurum. Idq; denunciari ei palam ac diserte proscriptionis formula, quæ ex de- creto Imperij antea promulgata fuit, contra proscriptos, & eorum receptatores.

Priusquã ex Comitibus domum redit Dux Elector Saxonie, comprehenditur non pro- cul à Dresda ob furtum quidã natus prope Fribergam Misnie Ioannes Bœm. Hic Dres- dam adductus ex sese sponte, non interroga- tus, enunciat, conductum se esse à Grumbachio, ut Electorem incautius ac ferẽ sine sa- tellitio uagantem in siluis, aut feras insectã- tẽ, globo traiciat, & ad eam cẽdẽ se sclopeto instructũ esse. Idẽ post tormẽtis examinatus repetit. Capitur & alius graffator insignis, Er- phordiensiu hostis, Philippus Plafs, qui inter alia confitetur, sibi quoq; à Grũbachio, si insi- dias, quæ parentur Electori, adiuuare uelit, præmia pposita esse. Sed assentiri se noluisse. Nec dissimilia his testimonia alia deferuntur ad Electorẽ ab inclytis & nobilib. uiris, Gun- tero Comite Schuartzeburgico & Christo- phoro Zebicio, ex ore Grumbachij excepta. De his Elector Saxonie edocet patruelem



DE BELLO

Ioannem Fridericum, amanter eum com-  
 monefaciens, & propinquæ necessitudinis  
 & pactorum, conuentorumq; iureiurando  
 non semel firmatorum, quibus expresse ca-  
 uetur, ne refugia aut receptus ullus præbe-  
 at, aut ferat auxilia alterius hostibus, inimi-  
 cis, obtrectatoribus, publicis grassatoribus  
 tráfugis: Se hortari eum, ne retineat secum  
 quos ex indicijs cæterorum hominum didi-  
 cerit, & suæ uitæ, & suorum subditorum, ali-  
 orumq; qui commerciorum causa regiones  
 suas adire ac frequentare consueuissent, for-  
 tunis & facultatibus insidiari. Ioannes Fri-  
 dericus è diuerso, & Legatis ab Imperio  
 missis coram ac scripto, & Electori Saxonie  
 literis insolentius in eam sententiam respon-  
 det, ut de authoritate Imperatoris & Sena-  
 tus Consulto publico detrahendo iteratam  
 proscriptionem non obscure damnet, tan-  
 quam in sui odium & oppressionem pauco-  
 rum suorum inimicorum artibus extortam,  
 & Grumbachium atq; complices audacter  
 excusando collaudandoq;, & ab omni culpa  
 uindicando, suisq; fideles consiliarios uocã-  
 do, Imperatorem inconstantie arguat, tan-  
 quam contraria ijs decernentem, quibus si-  
 bi per se & alios antea potestatem fecerit  
 Grumbachianos retinendi: Electorem uero  
 Saxonie non obscure amplius aut ambigue,  
 sed ex proposito, diserte ac acerbe notet, &  
 falso



falso atq; inique traducat. Intexuntur scripto Grumbachianæ epistolæ, obiectum de conductis & emissis sicarijs crimen diluentes, excusatione prorsus inter se discrepante. Quod enim initio inficiatur impudenter, & deriuat à se in alios, id ad extremum ita cōfiteretur, priora prodens: ut nisi Elector desinat oppugnare ipsum, non defuturos minitetur, qui eum quoquo modo tollant. Etsi autem Ioannes Fridericus simulate tandem præ se fert, se proscriptos dimissurum, perseverat tamen in proposito, ac pertinaciter illis retentis, nihil non conari pergit & moliri, confirmatus magis de ijs quas Grumbachius ostenderat spebus, belli Turcici apparatibus, & secutis deinceps cladibus ex Sigetti & Iuliæ expugnatione, quo nuncio nihil illis lætius, nihil optabilius accidit. Eam tam obstinatam pertinaciam Ducis Ioannis Friderici & Grumbachianorum molitiones tam perniciosas, propinqui Principes in bellum certum erupturas, & Principi exitium allaturas esse cernerent, redeunt ad priora consilia, instant & urgent apud Ioannem Fridericum monendo & obtestando ut sententiæ Imperij pareat, nec sua sibi peruicacia temere periculum creet & attrahat, quod sit multo maius sua opinione futurum. Non mouetur his Ioannes Fridericus, sed bellum manifestius moliri, comparare ad urbem muni-

-omnisq;

B 5 endam



endam necessaria, sollicitare ad coniurationis societatem Principes alios, & auxilia quærere incipit, missoq; legato Schuinfurtum, quod in Francis oppidum est Imperij liberum Octobri Mense, Nobilitatem Francicam, quæ conuenerat deliberatura de suppetijs ferendis Imperatori aduersus Turcas. Hanc ergo instigat, ut se duce Grumbachianæ causæ atque coniurationis defensionem suscipiant, & communis belli socij sint. Ea res & Imperatorem superbo atq; contumelioso responso prius exacerbatum grauius irritauit, & propinquis Principibus metum ac sollicitudinem auxit. Nulli ergo operæ, nullis sumptibus parcunt Elector Palatinus ad Rhenum, & Lantgrauius Hassiæ, cumq; his Guilelmus Iuliacensis auunculus. Iterum per legatos Duci Ioanni Friderico inculcant, & obedientiam Imperatori debitam, & pericula in ipsum redundatura si non obtemperet. Offerunt se arbitros earum controuersiarum, quæ Electori Saxonix & Ioanni Friderico intercesserant. Elector Saxonix respondet, nihil sibi pace gratius esse, nihil se quicquam armis ciuilib. peius abominari ac detestari, idq; se non obscure ostendisse ac docuisse hactenus demonstrat exemplis innumeris, patientiæ pene nimix. Idcirco, ne nunc quidem sese suo loco paci publicæ & concordix inter se & agnatum patrue-



G O T H I C O .

patrualem defuturum. Posse se arbitros illos ac disceptatores ferre priuatarum contro- uersiarum & iniuriarum, quibus sit affectus multiplicibus à Ioanne Friderico, salua tamē sua dignitate. Causam verò proscriptionis non suam esse priuatam, sed imperij publi- cam. Alter & tractationes & conditiones o- mnes insolēter recusat. Imperator autem & quò tendant, & quorsum euasuræ sint hæ Ioannis Friderici ac proscriptorum machi- nationes, ni maturè reprimantur, prospici- ens, nec cunctandum ratus, manifeste iam inclinatis animis multorum ex ordine Eque- stri ad seditionem, & res. nouas ac motus nouos pene palam spirantibus, Electorem Saxonie mandati dudum ab Imperio acce- pti admonere, & impellere atque urgere nō desinit, vt obsidionem Gothæ acceleret, fe- stinatione & occultatione tanta, quanta om- nino fieri possit. Ostēdit quantū in mora pe- riculi sit futurū si coactis, quæ concitare atq; excire nō desināt auxilijs, armati suas experi- ri molitiōes incipiant. Destinat Elect. Saxo- nie legatos seu Commissarios, Comitē Otto- nem Ebersteinium: Fabianum Schoneichi- um, & Christophorum Carolouitium, equi- tes auratos, quorū cōsilio & authoritate Ele- ctor ueretur. Hoc publici magis quā priuati periculi, respectu Elect. Saxonie permotus, quāquā abhorreret ab hoc bello, ppter patri- am,



am, propter cognati sanguinis iura, propter  
 familiæ nomen, & alias causas. Quod tamen  
 detrectare auctoritatem Imperij non lice-  
 ret, serio in deliberationem de concluden-  
 dis intra Urbem & obsidendis cum Rece-  
 ptatore suo proscriptis incumbit. Ac rem om-  
 nem celeri arcanoq; consilio ad eum modum  
 instituit, media & aspera hyeme, ut ante Ur-  
 bem proscripti prius armatas acies conspe-  
 xerint, & bellicorum tormentorum exaudi-  
 erint fragores, quàm hostiles apparatus  
 somniarint, securi nimis Imperatoris Vnga-  
 rico bello distenti occupationibus, & contem-  
 ptu non Electoris tantum Saxonix, sed &  
 uniuersi Imperij Romani. Hac celeritate  
 obsessis facultas tuto elabendi, colligendiq;  
 auxilia idonea ac sufficientia, & alios concii-  
 tandi, adempta fuit. Primæ in conspectum  
 Urbis equitum turmæ peditumq; Cohortes  
 educuntur. Pridie Natalis Domini, præmit-  
 titur ab Imperatore quidem per Caducea-  
 torem denunciatio, qua subditi absoluti à  
 iuramento Ioanni Friderico præstito, iuben-  
 tur illo deserto agnoscere & sequi Ioannem  
 Guilhelmum. Ab Electore uero Saxonix,  
 tanquam designato belli Duce, cautio de-  
 mandati officij rationem, & parendi neces-  
 sitatem in iusta ac legitima causa exponens.  
 Sed quod adhuc pauciores numero essent  
 equites & milites, quàm intercludendis iti-  
 neribus



neribus undiq; com meatuiq; interuertendo, & auxiliaribus copijs arcendis satis essent: factum est, vt obsessi ex vicinis oppidis delectorum ciuium multitudinem medio-  
 crem, sed magna ex parte imbellem, intra Urbem compulerint: ex direptis pagis vero non exiguam rerum fruendarum copiam in arcem importarint. Crescente paulatim ad Urbem exercitu, ex concursu militum & accessionibus sociorum auxiliorum cum bellum minimè ex sententia Ducis absentis administraretur, nec quicquam tantis dignum copijs gereretur, plerisq; in rapinas magis ac prædam quàm obsidionem intentis, ipse eò proficiscitur Elector Saxonie, decima quarta ab obsidione die. Et quod belli leges postulant, cum patruele Duce Ioanne Guilelmo, dispositis in ordinem aciei forma, ac circumductis propinquo interuallo copijs vniuersis, deditionem fieri flagitat, qua denegata non multorum dierum spatio, mira arte ac festinatione, distributis operis, nocte dieq; instans & urgens, omnem circumcirca Urbem & arcem fossis, aggeribus tam prope ad Urbem perductis, militeq; completis, ut occasio esset & facultas militi utriq; obsidenti & obsesso inter se colloquendi. Nec impediri hæ operæ ullis quantumuis insolitis disporum assidue magno numero immanium tormentorum fragoribus, emissorumq;



rumq; globorum ceu procellis poterant. Dum hæc opera ad Vrbein parantur, à nocturnis excubijs deiiciuntur internuncij ex arce emissi cum literis & auro signato ad Ernestum Mandeslouium. Aureorum erant quater mille pondere Rhenanis leuiiores, auro pares notati insignibus Electoralibus decussatim secantium sese binorum gladiatorum, & inscriptione uendicante dignitatem Electoralem Ioanni Friderico à natalibus. Literæ characteribus exaratæ erant inusitatis. Hi agniti & arcanas obfessorum machinationes & magistros equitum, militumq; tribunos, socios atq; complices coniurationis omnes patefaciunt, quorum multi sui purgandi causa ad Electorem Saxonix & legatos Imperatoris literas scribunt. Nonnulli in castra deinceps veniunt, aliqui malè sibi conscij fuga salutem quærunt. Paulo post diuersis, dignisque fide indicibus planè cognoscitur, Réceptatori & proscriptis constitutum fuisse sub initium veris equitum cogere millia octo, peditum legiones quatuor, duabus diuersis in partibus Germanix, in Vuestualia ad Rhenum vsq;, & in Marchia ac finitima huic Pomerania. Vuestualicis id negocij datum esse, vt per Episcoporum ditiones ad Rhenum, impetu in Franconiam facto in hac quæ Antistitum sint, ac deinceps in Thuringia quæ Electoris Saxonix sint,  
 ut



ut subigerent ac depopularētur, urbes Mulhusium, Northusium & Erphordiam grandi pecunia ut mulctarent: Erphordientes omnibus extra urbem fundis, prædijs, pagis & oppidis ut exuerent: Marchicis uero & Pomeranicis, ut oppresso Electore Saxonie, occupataq; ac direpta passim ditone, munitiores urbes, seu ui seu deditone caperēt. His perfectis crearetur princeps Ioannes Fridericus ad Vitebergam Elector Saxonie, & ubi coiissent exercitus ambo, idem salutareretur exemplo Romano ueteri ab uniuerso milite Romanus Imperator: Redigerentur in ordinem principes cæteri: tollerentur sese submittere recusantes: Equestris ordo subtractus Imperio principū, adfereretur in libertatē, & soli subiiceretur Imperatori: Noua institueretur forma Imperij. Comprobant hæc deinceps archiua à deditone in arce reperta, & iudicijs atq; confessionib. Principis Ioannis Friderici, Grumbachij, & cæterorum patefacta consilia. In literis uero interceptis hæc uerba inerant: Imperatorem Maximilianū publicatione renouatę proseriptionis uiolasse fidē ac religionē iurisiuradi atq; hoc periurio semetipsum exutū maiestate Imperatoria de fastigio Imperij deiecisse.

Fuit omnino coniuratio hæc in eum modum instructa, ut longè perniciosior Imperio Romano quàm Catilinaria olim Urbi Romæ



Romæ fuerit futura si erupisset. Ac planè dubium non est, non industria humana patefactam, nec vlla humana potentia representam, sed diuinitus elisam esse. Præstat autem sopiri seditiosas atq; cruentas molitiones quàm euulgari. Præsertim cum arcanorum consiliorum conscij fuerint non nisi antesignani, qui ad silentium & occultationem peculiari sese iuramento obstrinxerant. In hanc conspirationem ita consensit Dux Ioannes Fridericus, ut de suo stipendia Ducibus decreuerit, & victoribus, si rem perficerent, præmia proposuerit, ex præda parta & occupatis terris, liberalissima. Constitutum fuit inter eos biennio antè de innouanda insignium Electoralium forma, deq; typis peculiaribus monetæ imprimendis, cum arrogantis, minimeq; decentis tituli, vbi ad arma deuentum esset, inscriptione. Comparata iam & instructa fuerunt præla ad excudenda publicæ fidei diplomata, quibus caueretur saluti eorum, quos seruatos cuperent. De colligendis belli neruis rationes initæ: petita n̄ratuo à quibusdam Germaniæ principibus ingens pecuniæ uis: foedus cum Rege Sueciæ non solum expetitum & tentatum est, sed & missis hinc inde Legatis, initum contractumq; fuisset, nisi interceptus quidam in mari consilia, omnia aperuisset. Quas minas, quæ opprobria in cognatos princi-



principes, & machinationes quam hostiles  
 aduersus eosdem, mandata illa continue-  
 rint, id instructionum, ut vocant, formulæ  
 postea repertæ testari feruntur. Nulla ibi  
 Imperatoris, nulla cognati sanguinis, iura-  
 torumq; pactorum ratio habita est. Est inter  
 alios libellos repertus etiam qui continet  
 belli denunciationem directam ad Imperij  
 Ordines, multo ante compositam, & manu  
 propria Ducis Ioannis Friderici plerisq; in  
 locis correctam & auctam. Ita ut nihil illis  
 ad classicum canendum euertendamque  
 patriam defuerit, quam loculi auro referti,  
 & prætextus aliquis speciosus. Eum sese ac-  
 cepturos arbitrati sunt, si Elector Saxonix,  
 quem varijs calumnijs apud Nobilitatem  
 sibi addictam deformarant ac prægraua-  
 rant, decreto Imperij aut Cæsaris iussu, exe-  
 cutionis faciendæ causa, arma sumeret.  
 Missæ sunt ad Regem Gallix literæ, grauif-  
 simas aduersus Imperatorem & status Im-  
 perij, ob publicatum proscriptionis decre-  
 tum, querelas continentes, & petita à Rege  
 auxilia. Sed hoc maximè triste & deploran-  
 dum est, quod ad artes minimè conuenien-  
 tes homini Christiano, confugere ueriti non  
 sint. Per puerum enim rustici filium, uel ma-  
 gicis præceptis imbutum, uel ab incantato-  
 ribus fascinatam, uel à Grumbachio ad eas  
 C impostu-



imposturas assuefactum : per hunc ergo Princeps in cōclauē suam, & arcanissimam consuetudinem receptum, responsa ex angelis sciscitari, & de futuris quid euenturum esset, explorare est solitus. Nunc de successibus victoriisq; ipsis Ducis : nunc de Cæsaris & Electoris Saxoniae interitu : nec non de thesauris effodiendis, aliisq; id genus similibus euentibus. His cum à diuini uerbi præconibus uehementius contradiceretur, grauius illis supplicia, ni tacerent indicta sunt. Et suscepit magi patrociniū ipse Princeps tanto studio tantoq; feruore, ut Theologos hanc consulendi diabolum cōsuetudinem acriter reprehendentes, mordacibus & contumeliosis scriptis quæ extant, repelleret, nec ulla pia, rectaq; & salutaria monita admitteret. Porro miseræ plebeculæ, quæ ex oppido in urbem defensionis causa contracta erat, persuasum fuit ab ipso Duce Ioanne Friderico, concione ad populum habita, bellum Religionis extirpandæ causa, conspiratione Imperatoris, Electoris Saxoniae, & Antistitum Germaniæ susceptum esse. Nam ad hanc magno silentio occultatum fuit, quid fieret & gereretur, & quæ causæ prætenderentur, quidūe ab Imperatore atq; iis, qui ad Urbem cum exercitu erant, postularetur. Inuita igitur militabat, ignara operum, impatiens one-

rum



rum militiae, etsi à milite conductio nonni-  
 hil animaretur, & paulatim bellicis operis af-  
 fuefieret. Præterea crescebat in urbe diffi-  
cultas omnium rerū. Fiscus principis exhau-  
stus erat. Priuatis ereptum erat quicquid re-  
liquum fuerat pecuniæ numeratæ. Deficie-  
bant comeatus, nulla supererat uestibus ma-  
teria, extenuabatur paulatim & euanesce-  
bat spes omnis auxiliij externi. Cætera onera  
 augebantur. Diruebantur ciuium domus, ut  
 propugnaculis extruendis aut reficiendis si  
 concuterentur, materia suppeteret. Et fama  
 percrebuerat consultari de milite idoneo in  
 tra arcē recipiendo, deq; vrbe incendenda.  
 Sed omni imbelli multitudine prius extru-  
 sa. Extra urbem autem absolutis aggerib. &  
 castellis ad oppugnationem seriam instructa  
 omnia oculis obuersabātur, quæ iam ante de  
 salute sua anxie plebi terrorē augebāt, quod  
 aduersus ictus bōbardarum non tegerentur  
 amplius altitudine ualli, tota interiore urbe  
 hostium cōspectui exposita ppter ea castella  
 quæ arte excitata aut tumultis imposita supra  
 urbem eminebant. Hæc ubi concurrerent  
 & obsessi ex milite hoste inter quotidiana  
 colloquia discerent, bellum propter proscri-  
 ptos & rebellionem Receptatoris eorum  
 Ducis Ioannis Friderici motum esse, quos  
 concordibus sententijs Imperij condemna-  
 tos, atq; ad pœnam expetitos tueri ipsi atq;



defendere non desinerent, contra interd-  
 eta seuerissima legitimi magistratus cum di-  
 scrimine uite, fortunaru, existimationis suæ,  
 imo cum iactura vitæ & salutis æternæ.  
 Consilium capiunt, quo se & principem su-  
 um ex bello tam difficili ac periculoso absq;  
 insigni rerum suarum detrimento explicent.  
 Coniungunt se ergo præcipui ex ordine e-  
 questri, aulicis, senatu, militaribus copijs &  
 plebe, ac rem ad principem literis supplici-  
 bus deferunt (ad colloquium enim non ad-  
 mittebantur, arcentibus eos Grumbachia-  
 nis.) Orant ne se ipsum & subditos proscri-  
 ptorum causa perdat, sed communi cum  
 ipsis deliberatione se quomodo seruet ac li-  
 beret, constituat. Cum non tantum non ob-  
 tinerent quicquam, sed acciperentur mina-  
 citer, nec minas has irritas fore animaduer-  
 terent, si in proposito persisterent: communi  
 fama nonnulli ex ijs qui præcipui erant iam  
 supplicio capitis destinatis, id agunt, ut de  
 ijsdem resciscat miles præsidarius, cui intra  
 arcis claustra uelut carceribus concluso ex-  
 cubiarum ac defensionis causa, alioqui e-  
 gredi inde & consilia cum oppidano præsi-  
 dio communicare non licebat. Auget ciui-  
 um & rusticorum in Vrbe coactorum in-  
 dignationem casus qui præcessit pridie Pa-  
 schatos. Præcipuus enim capitaneus ciui-  
 um



um, idemq; ciuis, ob fortitudinem & rei militaris usum omnibus carus Ioannes Hoffman, non ex vrbe, sed arce (contra militum inter se pacta quæ erant ut arcem præsidia istuc collocata, vrbe uero ciues defenderent) ad oppugnandum hostium castellum proximum, erumpere cogitur. Vbi pugnans fortiter, cum aliquot gregarijs militibus interficitur. Quod ergo seruari potuisset, si auxilia uti conuenerat inter eos submissa fuissent, incipit in vrbe de tribuni militum Brandestenijs perfidia, populusq; grauius queri, quod non tantum honestum fortemque ciuē præsentis periculo obiecisset, sed & uiriliter dimicantē turpiter deseruisset. Exoritur ergo fremitus & indignatio in urbe, cuius cum præsidiarius miles è claustris in aream arcis quarta die Aprilis eductus, ad sacramentum militiæ de nouo præstandum non ignarus esset, iurare recusat: uel quod desperaret de defensione arcis, uel quod amplius militare nollet causam improban, & quod pertæsus esset latebrarum, squaloris & egestatis, quam pertulerat. Stipendia enim nulla nisi unius mēsis & victum tenuē ac sordidum per id tempus acceperat. Urgente præfecto Hieronymo Brandestenio & nil proficiente, nec obtestationibus, nec minis, accurrit princeps ipse. Sed & eo



DE BELLO

nihilo plus concitato militi persuadente, ex-  
 auditur hic clamor in urbe: fit mox concur-  
 sus ad arcem: portæ vi recluduntur: coniun-  
 git se miles cum oppidano præsidio. Com-  
 prenditur tribunus militum Brandestei-  
 nius: proscripti deposcuntur: qui cum metu  
 sese abdidissent, inquiruntur per arcem re-  
 feratis conclauibus: inuenti capiuntur, vin-  
 cti abripiuntur in urbem, atq; in curiam de-  
 ducuntur, ubi diuersis in locis custodiun-  
 tur. Comprehenfi sunt hi: caput factiosæ cõ-  
 iurationis & proscriptorum princeps ipse  
 Guilelmus Grumbachius cum socio Guil-  
 elmo Steinio. Doctor Christianus Bruck  
 cancellarius. Brandensteinus de quo dixi,  
 & Ioannes Beierus, qui sub Electore Saxo-  
 niæ quæstor præfecturæ Montanæ in Schel-  
 lenberg, cum soluendo non esset, deserta ac  
 prodita fide erga dominum, ad hostem trans-  
 fugerat, & consilia de opprimendo & excu-  
 tiendo Electore adiuuerat. Zebicius uero  
 cum nonnullis alijs ea uespera elapsus, po-  
 stridie summo manè per portam arcis emit-  
 titur, ubi deceptis excubijs fossam, quæ angu-  
 stissima erat, cõcitato equo transfiliens eua-  
 dit. Is est autem Zebicius, qui suo se sclopeto  
 Zobelum Antistitè Vuirceburgensem traie-  
 cisse profiteri fuit ausus cum Pichtio Lune-  
 burgico. In urbe quid actum sit, mox una cõ-  
 muni



muni epistola significatur Electori Saxoniae  
 Augusto, Duci Joanni Guilelmo, & legatis  
 Imperatoris à nobilibus aulicis, centurioni-  
 bus & senatu: petiturq; de consensu Ducis  
 Ioanis Friderici, ut dies dicatur sub fide pu-  
 blica tractationibus de pace, se paratos de-  
 dere proscriptos & urbem, si æquis conditi-  
 onibus pacem impetrent. Adiungit suas lite-  
 ras Ioannes Fridericus non inscriptas prin-  
 cipibus, sed legatis Imperatoris. Nec idem  
 agit, sed quasi sese & suam causam seiungens  
 inducias concedi postulat dierum quatuor-  
 decim, quibus ad deliberationem de suis re-  
 bus & pacis conditionibus, accersat princi-  
 pes hos: Palatinum Fridericum Electorem,  
 Guilelmum Iuliacensem ducem: & Philip-  
 pum Lantgrauium qui paulo ante è uiuis  
 excesserat. Aberat tunc ab exercitu Elector  
 Saxoniae, profectus Cassellas, ut cohonestat-  
 ret deductionem funeris Lantgrauij. Lega-  
 ti Imperatoris interea respondent, bene pol-  
 licentur, iubent diligenter muniri captiuos  
 usq; ad reditum electoris Saxonie. Eo reuerso  
 obsessi quod petunt impetrant, Ioannes Fri-  
 dericus non impetrat. Dicitur dies congres-  
 sui, conuenitur, proponuntur conditiones, de  
 quib. qui exierant, referunt ad principem su-  
 um & cæteros. Reuersi iidem in castra, à  
 principe nulla à cæteris mandata adferunt,



DE BELLO

ut simul pro principe intercedant ac laborent. Quo se suosq; negligente ac destitente, factūne an alijs de causis, quod inops esset consilij, nihil obtinetur. Tandem biduo ultra citraq; tractationibus his atq; consultationibus consumpto, in hæc consentitur capita ab utrisq;, conscio Duce Ioanne Frederico, ut Princeps sese, arcem & urbem cum apparatu bellico uniuerso, commeatu, cancellaria, fisco, dedat Imperatori sine ulla conditione. Ut proscripti & horum socij atque patroni, grassatores itidem publici ac prædones, & præter hos uasalli, qui non renuntiata obligatione sua contra Electorem militarunt, tradantur in manus Electoris. Ut militares homines omnes cuiuscūq; ordinis urbe cedant armati sine tympanis intra quatuor horarum spatium, & uexilla conuoluta tradant: ut subditi ex omni ordine, & ciues inprimis urbis Gothanæ, uitam, fortunas, iura, immunitates suas retineant illæsas, ut portis patefactis intra urbem & arcem recipiantur præsidium, claues exhibeantur Electori, captiui dimittantur sine lytris. Ciues Gothani per delectos octo ex toto numero fiant supplices Imperatori, uel ipsius loco Electori Saxonie. Vtrique ciues & milites iurent, se nullis unquam bellis contra Imperium, Imperatorem & Electorem Saxonie

motis,



motis, inter futuros: vt Duci Ioanni Guilelmo nouo sese homagio obstringant, excluso ab omni iure successione fratris, & natis ex illo filijs: his conditionibus, ut si contingat absq; herede masculo Ioannem Guilelmum decedere, succedat Elector Saxonie, atque huius filij: si & hi, deuoluatur successio in Lantgrauos Hassie. Literis de his capitibus confectis & obsignatis ultro citroq;, Elector Saxonie Augustus comitantibus Ducibus Ioanne Guilelmo Saxonie, & Adolpho Holstato ipse inter vtrunq; medius Urbem primum, deinde arcem ingreditur, precedente maxima equitatus parte, & ante ipsum proximè magno numero comitum. Factum id est die decimatertia Aprilis, hora circiter sexta uespertina. Incidit illa dies in Dominicam Misericordias Domini, hoc ex Ecclesiastico calendario nomine notã. Qua ante annos viginti à Carolo V. Imperat. pater Ioannes Fridericus seniore acie victus & captus est, penè eadem hora. Discrepantibus tamen diebus mensis politici, cum ante uiginti annos eadem Dominica in uicesimam quartam Aprilis inciderit: sed decima tertia Aprilis quæ Antistiti Vuirceburgensi Zobelofraude Grumbachij perempto, uitam. Eadem admirando iustitiæ ac uindictæ diuinæ testimonio ipsi Grumbachio tunc primum



DE BELLO

redacto in hostium potestatem, annis octo post spem vitæ eripuit. Principi Ioanni Friderico custodiæ ponuntur: postridie tradit ipse se in manus & potestatem Imperatoris, deditioe legatis facta, Ottoni Comiti in Eberstein: Fabiano Schoneichio & Christophoro Carolouitio ex ordine equestri, uiris nobilibus & equitibus auratis petens ne abducatur in Austriam, sed relinquatur apud Electorem Saxonie. Tertio à deditioe die abducitur captiuus: proscripti & captiui tormentis subiiciuntur 16. Aprilis die, digressa inde cõiuge Ioannis Friderici permissu principum cum supellectile copiosa, fiunt iudicia de captiuis: pñunciatur de capitibus eorum ex singulorum cõfessione & archiuis reperitis: Die 18. supplicium de iisdem sumitur: pari cum Grumbachio supplicio afficitur cæcellarius, dissectione corporis in partes quatuor, ob læsæ Maiestatis crimen cõmissum in eo quod obiecit & intentauit Imperatori falso periurium: elisit atq; pñecit contumeliose sententiã pñscriptionis: cõprobauit & excusauit ausus factionis Grumbachianæ, adiuuit cõsultationes de perturbanda seditiosis morib. Germania, abrogando Cæsari Imperio, principib. nobilitati exæquandis: acerbè & ignominiose exagitauit uoce & scriptis Imperatorem, duces Saxonie, electorem & Ioãnem

nem



nem Guilelmum dominos suos: reticuit & ad  
 iuuit infidias ac molitiones, quæ Electori &  
 Ioâni Guilhelmo structe fuerunt, cōtra fide-  
 litatis iuramentum utriq; præstitum. Grum-  
 bachij & Steinij crimina cōmemorata sunt:  
 sed quod Steinium Grumbachius excusaret  
 tanquam à se seductum, mitius ille punitur.  
 capite enim truncatur, postea truncus qua-  
 drifariam scinditur. Beierus suspenditur. Ca-  
 pite truncatur & Brandensteinus arcis præ-  
 fectus, qui non tantum sciens uolensq; pro-  
 scriptis sese contra Cæsareæ Maiest. interdicta  
 socium adiunxerat: sed & in diripienda urbe  
 Vuirceburgensi opem illis gnauiter præstite-  
 rat, ciuesq; in urbe Gotha ita afflixerat, ut  
 gladiis illum suis interfecturi fuerint, nisi iu-  
 stum de eo supplicium magistratus sumpsis-  
 set. Plectitur & capite David Bomgartnerus  
 liber Baro Sueuię, Augusta oriundus. Qui p-  
 pter es alienum patria pfugus, Grumbachia-  
 ne se factioni adiunxit, & ad seditiosa confi-  
 lia, quæ de nobilitate in libertatem uindican-  
 da, uniq; Imperatori asserenda, principibus  
 excussis, Grumbachius cuderat ac descripse-  
 rat, ministerium se præbuit. Cuius instituti  
 formula nomine Bomgartneri circumfer-  
 tur. Euadere hic potuisset, si lacero squali-  
 doque habitu inter gregarios milites cum  
 egrederentur, latere, quam in ferociente &  
 superbo equo plumatus conspici maluisset.

His



DE BELLO GOTH.

His indicijs enim seiscitante Electore Saxoniae agnitus regredi, & machinula equestri bene pulsatus deijci ex equo ac uinciri iubetur. Laqueo punitur & puer magus. His peractis diuiduntur machinae bellicae centum sexaginta. Nouem insigniores Elector Saxoniae sibi uendicat: reliquas cum Duce Ioanne Guilelmo ex aequo partitur: octo grandiores machinae Caesari dono mittuntur. Exercitus omnis dimittitur, munitio diruitur ac solo aequatur: Dux Ioannes Fridericus captiuus Viennam ducitur.

Θεω δόξα.



Ma 786

ULB Halle 3  
001 002 97X




f

h.


n.c.











H. 65.7. 3

3.

Historica  
DESCRIPTIO  
SVSCEPTAE A' CAES  
SARE A MAIESTATE EXE  
CVTIONIS CONTRA S. ROM. IM  
perij rebelles, eorumque Receptorem:  
& captæ vrbis Gothæ, soloque æquati  
castrî Grimmenstein, Anno  
Domini M. D. LXVII.  
XIII. Aprilis.



M. D. LXVIII.

